Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1343
Quelle:
Copyright:

ostenditur &c. *Dicitur 2° Vaschank quasi Vas schank, quia sicut vas liquore superimpletum effluit, ita hoc tempus quasi vas dissolucione se diffundit* &c. *3° dicitur vaschanckh vach scham. Vach enim qui destruit templum dei* &c. *4° dicitur Vaschank a fraſs quod est vorare et comedere et schank quod est propinare* &c. His infra in notis additur: *Vaſsnacht sicut dicitur Cristnacht, i. der Vastennacht i. nox que est nuncium ieiunij. Vel dicitur nox i. profestum vel vigilia temporis quadragesimalis* &c. *Item vasnacht i. fraſsnacht et rationabiliter obmittitur* r *quia crapula et ebrietate saturati non possunt bene proferre* r. *Item vaschank i. vasten anfankch* &c. De Autore *Francisco de Retza* Auſtriae urbecula vide *Quetif. Scriptt. O. P.* T. I. p. 775. et *Scriptt. Univ. Vienn.* P. I. p. 73.

VIII. *fol.* 114. Adnotata varia Theologica praecipue ex *Rob. Holkot* Anglo O. P. Item fragmentum ex Commento *Balteri* (Gualteri Burleji) in *Ethica Aristotelis* &c.

CCCXLIV.

841 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XV. Folior. 180. 8. non una manu exaratus et quondam *Fratrum sancte Crucis in Colonia* sequentia complectitur: I. *Bullam domini Johannis. XXII. de visione anime.* Id est revocatoriam opinionis suae, qua tenuerat, Animas Piorum ante corporum resurrectionem non fruituras *beatifica*, quam ajunt, *Visione.* Eam, quod *Johannes* morte praeventus non poterat, *Declarationi* suae insertam publicavit Successor *Benedictus* XII. Data vero est a *Johanne* pridie mortis, 3. *Dec.* 1334. *Avenione.* Pontificat. anno 19. hoc initio: *Ne super hijs que de animabus purgatis separatis a corporibus* &c. Vulgata est a *Baluzio* in *Vitis Papar. Avenionen.* T. I. in *Vita Johannis* scripta a *Petro de Herentalis* p. 183. sed valde mendosa; correctior apud *Raynaldum Annal. Eccl.* T. XV. edit. *Colon.* 1694. p. 476. ut tamen e *Codice* nostro perfici possit, si annum Pontificatus demas, quem Librarius omissa unitate XVIII. fecit.

II. *fol.* 3. Εγχειριδιον asceticum pia Monita e variis Autoribus lecta complexum, cujus initium: *Anima mea! sit libellus hic in titulum inter Ihesum et te. Primo semper sit in ore tuo Benedictus deus* &c. Comparent *Hugo*, *Augustinus*, *Dionysius* &c. et ad calcem: *Anno domini M°. CCCC°. LIII°. In profesto. s. margarete v.*

III. *fol.* 11. *Incipit prophetia sibille tyburtine grece albunee latie priamidis regis filie.* Initium: *Sibille grece femine prophetantes dicuntur. quod ob diuinam uoluntatem hominibus interpretari et ventura prenunciare solebant. Tradunt namque autores X. fuisse sibillas* &c. Fabulosa haec Narratio a quibusdam *Bedae* tributa praefixa est *Oraculis Sibyllinis Serv. Gallaei Amstelod.* 1689. 4. eruta,

ut